Istis obiectionibus sic est respondendum: ‘Hoc generalissimum *ad aliquid* non dicitur ad convertentiam; ergo non convenit omnibus relativis.’ Dicimus quod illud non est relativum. Vel aliter: Ipse intellexit de omnibus
5 aliis eo excepto.

De hoc quod dicebatur ‘non convenit speciebus ut paternitati’: Falsum, quia competens est convertentia cum dicitur ‘paternitas filiationis paternitas’. De individuis non est oppositio, quia ipse intellexit de praedicamentalibus.

10 Item, dicimus quod Socrates non est relativum.

Rursus aliter probatur quod non convenit omnibus, quia non huic, scilicet *simile*, quia non dicitur cum aliquo. Dicimus quia dici ad convertentiam dicitur vel quando relativa referuntur inter se, | ut pater et filius, vel quando conveniunt alicui respectu alterius ita quod diversitas casuum demonstratur, ut dissimile et simile; demonstratur enim cum dicitur
15 ‘dissimile dissimili dissimile’.

Sed quia illa quae erant relativa secundum Platoniam sententiam non videbantur omnia dici ad convertentiam, idcirco subiungit: AT VERO ALIQUOTIENS NON VIDEBITUR CONVERTI NISI CONVENIENTER AD ID QUOD DICITUR ASSIGNETUR, UT ALA SI ASSIGNETUR AVIS NON CONVERTITUR, UT SIT
20 AVIS ALAE (6b36); non enim convenienter dicitur ala avis ala, quia multae alae sunt quae non sunt avium. Sed si quis ita assignet ‘ala alatae rei ala’ vel ‘alata res ala alata’, convenienter assignatur.

ALIQUOTIENS vero licet FINGERE NOMINA et verba, UT REMUS NAVIS
25 REMUS SI ASSIGNETUR, NON ERIT CONVENIENS ASSIGNATIO; SUNT ENIM NAVES quae remos non habent; sed si quis ita assignet, convenienter fecerit: ‘remus remiti remus’, ‘remitum remo remitum’.

SIMILITER de capite. Non est enim conveniens si quis ita dicat: ‘animal capitis animal’; MULTA ENIM SUNT ANIMALIA CAPITA NON HABENTIA.

15 ut] vel P 20 sit] si P 26 fecerit] *lectio incerta P* 28 dicat] dicant P

7b15. VIDENTUR AUTEM relativa SIMUL ESSE NATURA.

Et hoc probat Boethius in commento, quia posita se ponunt et destructa se destruunt.

Opponitur Boethio: Verum alicuius propositionis et ipsam esse veram posita se ponunt et destructa se destruunt; ergo sunt simul natura. Probo quod non, quia unum est causa alterius. 5

Item, individuum quod subicitur cum agitur de isto generalissimo *substantia* et illud generalissimum posita se ponunt et destructa se destruunt; ergo sunt simul natura. Improbo: Hoc generalissimum *substantia* est prius illo, quia est prius omni sua specie; ergo non sunt simul natura. 10

Ad hoc dicimus quia Boethius non posuit sufficientem descriptionem sed quandam assignationem, quia hoc dimisit, scilicet: 'ita quod unum <non> est causa alterius'.

Item, opponitur: Ista relativa sunt simul natura, pater et filius. Probo quod non: Non dicuntur ad convertentiam secundum naturam, quia ad placitum; ergo non sunt simul natura. 15

Non sequitur. Fallo: Istud verum, scilicet omnem hominem esse animal, non dicitur secundum naturam; ergo non est naturaliter.

Nunc videndum est quibus relativis conveniat simul esse natura. Dicimus quod omnibus generibus et speciebus istius praedicamenti praeter huic generalissimo *ad aliquid* et omnibus individuis sub eis contentis et aliis quae proprie dicuntur relativa inter se, ut pater et filius, convenit, aliis vero non. | Sed tamen quidam dicunt quod convenit talibus universalibus ut *pater Platonis* et *filius Socratis*, quod falsum est. 20

Posuit Aristoteles superius quandam proprietatem relativorum quae non convenit omnibus quae sunt relativa secundum Platonis sententiam, scilicet simul esse natura non convenit istis, scilicet *scibile* et *scientia*; ergo non omnibus. Quod istis non conveniat, probo quia unum est prius al-

2-3 Boeth. *in Cat.* 228c-d.

4 opponitur] opponit *P* boethio] *lectio incerta (comp. bo habet P)* 7 agitur] agit *P* 14 opponitur] opponit *P* 24 platonis] *vel plato (comp. pla habet P)* socratis] *vel socrates (comp. so habet P)*

tero. Quod unum sit prius altero, probat sic: IN multis enim REBUS SUBSISTENTIBUS SCIENTIA ACCIPIMUS, id est multae res existunt antequam de eis habeatur scientia.

Deinde subiungit: IN PAUCIS VERO VEL NULLIS HOC QUIS REPERIET SIMUL CUM SCIBILI SCIENTIAM ESSE. Super hunc locum Boethius promovet quandam quaestionem, dicens: Propterea dixit Aristotelis ‘in paucis’ quia in quibusdam videtur inveniri sicut in chimaera et in hircocervo et in talibus, quia illa simul sunt et scientia illorum, quia ex quo fingitur chimaera esse, et scientia illius.

Quod scientia chimaerae sit, probo: De ea habetur scientia quia scitur quod est opinabilis et non est substantia nec accidens; ergo aliqua scientia habetur de chimaera. Item, scitur chimaeram non esse; ergo scitur de chimaera vel de alio vel de illo et alio; sed non de alio; ergo de chimaera; et sic scientia chimaerae est.

Sed quia Boethius istud quod dixerat non asserebat, destruit quod scientia chimaerae non est, dicens: Scientia illarum rerum quae in rei veritate non sunt non est; ergo nec scientia chimaerae est. Et ex his verbis talis potest formari syllogismus, scilicet: Scientia est comprehensio veritatis rerum quae sunt; sed scientia chimaerae non est comprehensio etc.; ergo scientia chimaerae non est. Unde dicit Boethius: quia Aristoteles dixit ‘in paucis’ et hoc erat falsum, ideo subiunxit ‘vel nullis’, quod verum est.

Probo quod scientia hominum qui praeterierunt vel eorum qui futuri sunt non est scientia, quia non est comprehensio veritatis eorum quae sunt.

Dicimus quod auctoritas sic est determinanda: ‘Scientia est comprehensio etc.’, id est scientia est comprehensio veritatis eorum quae sunt vel quae fuerunt vel quae futura sunt.

Quod scibile sit prius scientia probat Aristoteles: SCIBILE SUBLATUM AUFERT SCIENTIAM, SCIENTIA VERO NON AUFERT SCIBILE. Quod scibile su-

5–9 Boeth. *in Cat.* 229b–d 15–22 Boeth. *in Cat.* 229c–d

1–2 subsistentibus] existentibus *a.c. P* 10 quia] quod *P*

blatum auferat scientiam probat: SI SCIBILE NON est, SCIENTIA NON EST; sed non convertitur; ergo scibile sublatum aufert scientiam, sicut si duo sunt, et unum est, sed si unum non est, nec duo sunt. Postea ponit exemplum: UT CIRCULI QUADRATURA SI, id est licet, scientia SIT SCIBILE, SCIENTIA EIUS NON EST, quia, ut ait Boethius, in tempore Aristotelis non erat illa scientia percepta sed postea fuit a quibusdam discussa. 5

Item, probat alio argumento Aristoteles quod scibile est prius scientia, dicens: SUBLATO ANIMALI aufertur SCIENTIA, SCIBILIVM VERO PLURIMA 32ra REMANENT. Conclusionem dimittit. Ex | istis duabus propositionibus possunt fieri duo syllogismi, unus categoricus et alius hypotheticus, sub certis regulis. Categoricus sic: Destructo animali destruitur scientia; sed non destructo animali destruitur scibile; ergo non destructa scientia destruitur scibile. Regula: Si aliquid destruit aliud, et destruens non destruit tertium, secundum non destruit tertium. Hypotheticus vero sic: Si non est animal, non est scientia; sed non est verum quod si non est animal, non sit scibile; ergo non est verum quod si non est scientia, non sit scibile. Regula: Si aliquid infert aliud, quicquid sequitur ad consequens, et ad antecedens. 10 15

Hic videtur sibimet contrarius Aristoteles. Dicens enim alibi 'scientia est in anima ut in subiecto', hic vero dicit 'perempto animali perimitur scientia'. 20

Probo esse falsum: Perempto animali remanet scientia in anima, quia †a...a† cognitio collata ei a creatore in creatione, quia sunt caelestes spiritus; ergo perempto animali remanet scientia. Vel sic: Perempto animali remanet quod naturaliter est in anima; sed scientia naturaliter est in anima; ergo scientia remanet; ergo falsum quod Aristoteles dixit. 25

Ad hoc dicimus quod Aristoteles cum dixit 'scientia est in anima ut in subiecto', intellexit de scientia quae confertur ei in creatione; cum vero dixit 'perempto animali perimitur scientia', intellexit de illa quae convenit per applicationem subiecti.

5–6 Boeth. *in Cat.* 231b 18–19 Arist. *Cat.* 2.1b1–2

3 sed] *lectio incerta* 9 ex] *iter. ut v. P* 17 aliud] *ex aliquid corr. ut v. P* 22 creatione] *creationem P*

Adhuc Aristoteles probat <quod> quaedam quae videbantur relativa secundum Platonis sententiam non sunt simul natura, sicut sensus et sensibile, scilicet tale quod potest sentiri, dicens: SIMILITER AUTEM HIS SE HABENT ET EA QUAE DE SENSU SUNT, id est sicut praedicta non sunt simul
 5 natura, sic et ea quae de sensu sunt, id est hoc relativum *sensus* et istud *sensibile*.

Et hoc probat: SENSIBILE ENIM PRIUS est sensu, quia SENSIBILE INTE-
 REMPTUM SIMUL PERIMIT et SENSUM, SENSUS vero NON PERIMIT SENSIBILE.
 Et ad hoc probandum, scilicet quod sensibile perimat sensum, sed non
 10 convertitur, Aristoteles facit duos syllogismos, quos ponit distorte et inor-
 dinate, quia prius ponit probationem assumptionis, secundo proposi-
 tionem, tertio ipsius probationem, quarto assumptionem, quinto conclu-
 sionem; nos autem syllogisticam dispositionem facimus. Probo: Si non est
 sensibile, non est sensus. Si non est sensibile, non est corpus (omne enim
 15 corpus sensibile est); et si non est corpus, non est sensus (quia omnis sen-
 sus | in corpore est et non habet esse praeter corpus), sed non convertitur; 32rb
 ergo si non est sensibile, non est sensus, sed non convertitur.

Nunc veniamus ad verba Aristotelis. Dicit Aristoteles: Probo quod si
 non est sensibile, non est corpus: SENSUS IN CORPORE ET CIRCA CORPUS
 20 SUNT etc. Probatio istius assumptionis: Si non est corpus, non est sensus.

Sed probo hac ratione quod si non est corpus, non est anima, quia
 anima in corpore et circa corpus est.

Ad hoc dicimus quod Aristoteles sic intellexit: Sensus est in corpore,
 id est est in eo ut in subiecto, et circa corpus, <id est> non habet esse extra
 25 corpus.

Probo quod habet esse extra corpus: Est in anima, quia visus; anima
 enim videt.

Ad hoc dicimus quod impropria est haec locutio cum dicitur ‘visus est
 in anima’, et est sensus: id est exercetur per animam.

2-3 sensus et sensibile] sensibile et sensus !P 4 id est] hoc rela *add. a.c. P* 15
 sensus] sensibile P 16 esse] rem P 17 sensus] corpus P 22 anima] *s.l. P*

Postea subiungit: SENSIBILI enim PEREMPTO perimitur CORPUS. Et hoc probat: SENSIBILE ENIM CORPUS EST.

Sed hac ratione probo quod si non est album, non est homo; homo enim est albus.

Sed dicimus quod Aristoteles eam intellexit universalem, et est sensus: 5
Omne corpus est sensibile.

Adhuc probo inconueniens: Omnis scholaris existens in his scholis est sedens in his scholis; ergo si non sedet in his scholis, non est scholaris existens in his scholis.

Dicimus quod non est simile de levibus accidentibus et substantialibus. 10

Postea addit: CUM AUTEM CORPUS NON SIT, PERIMITUR SENSUS, QUARE SIMUL PERIMIT SENSIBILE SENSUM; SENSUS VERO SENSIBILE SIMUL NON PERIMIT. Et hoc probat Aristoteles sic: PEREMPTO ANIMALI perimitur SENSUS, id est si non est animal, non est sensus, SENSIBILE VERO ERIT, id est non est verum quod si animal non est, quod sensibile non sit. Regula: Si aliquid destruens destruit aliud, quicquid non destruit destruens non destruit destructum. 15

Adhuc probat quod sensibile est prius sensu, dicens: AMPLIUS SENSUS QUIDEM CUM SENSATO SIMUL FIT; SIMUL ENIM ANIMAL FIT ET SENSUS (simul enim animal et sensatum fit); ergo sensus et sensatum simul fiunt. Regula: Si aliqua duo simul sunt natura, quicquid non est simul natura cum aliquo <eorum> non est simul natura cum alio. 20

Quod sensibile sit antequam esset sensatum probat: IGNIS ENIM ET AQUA ET HUIUSMODI EX QUIBUS CONSTAT IPSUM ANIMAL ANTE SUNT QUAM SIT OMNINO; QUARE PRIUS QUAM SENSUS SENSIBILE ESSE VIDETUR. 25

Istis verbis videtur Aristoteles innuere quod elementa sint sensibilia.

32va Sed probatur contra: Nullum elementum est corpus; ergo nullum elementum est sensibile. Item, nullum elementum corporeo sensu percipitur; ergo nullum elementum est sensibile.

10 et substantialibus] a su haec alia ut v. P 14 est²] sensus add. a.c. P 15 quod²] est add. a.c. P 21 aliqua] lectio incerta P

Ad hoc dicimus quod omne elementum est corpus, et hoc asserit Boethius in commento.

Item, nullum elementum corporeo sensu percipitur.

Dicimus quod falsum est, immo percipitur gustu, odoratu et tactu, et haec cum illorum qualitates percipiuntur.

Sed quia, ut ait Boethius, quorundam erat sententia quod omnia relativa <sunt> simul natura, ideo obiectiones quorundam inducit, et maxime Porphyrii, quibus videtur posse probari quod ista relativa, scilicet scientia et scibile, sensus et sensibile, sint simul natura; et quod de istis est de quibus minus videtur, sicut Aristoteles probavit, intelligatur de aliis.

Probat sic Porphyrius quod scientia et scibile sunt simul natura: Si scientia non est, res quidem in sua natura est, sed non est scibilis, quia nulla scientia est qua res possit comprehendi; ergo non potest sciri; sed si non potest sciri, non est scibilis; ergo si scientia non est, scibile non est.

Sed ad maiorem probationem inducit talem rationem, scilicet quod scientia non est referenda ad scientem nec sensus ad sentientem, quia quamvis sentiens et sciens non sint, tamen scientia et sensus sunt in rerum natura.

Sed quia istam sententiam non tenemus, Porphyrius sic opponimus: Probo quod si sciens non est, non est scientia, quia non est res per se existens, quod patet, nec res per se non existens, quia non est adiacens praedicatum, quod patet, nec proprietas existens in subiecto, quia non in sciente cum non sit, nec in alio, quod certum est; ergo non est aliquo modo. Sed tamen nihil dicimus contra Porphyrium, quia Porphyrius hanc obiectionem fecit non omnino ut hanc sententiam teneret, et Boethius eam retulit. Quod vero de scientia probavimus, illud idem de sensu probari potest.

8a13. Aristoteles autem sententiam Platonis destruens, eam latenter, quia Plato eius doctor, destruit. Sed quoniam Aristoteles quasi ex novo istud

1–2 Boeth. *in Cat.* 233a 6–9 Boeth. *in Cat.* 233b

9 sensibile] scibile *a.c. P* 12 quidem] *lectio incerta P* 13 qua] quae *P* 25 omnino] *lectio incerta P*

praedicamentum incipit, idcirco secundum eius sententiam istius generalissimi primum definitionem ponamus: AD ALIQUID SUNT QUIBUS EST HOC IPSUM ESSE AD ALIQUID QUODAMMODO SE HABERE (8a31). Exponit Boethius: AD ALIQUID SUNT etc.: Illa sunt ad aliquid quae habent suum esse ex relatione. Et notandum est quod haec definitio competentior est prima, quia in illa ponitur ‘dicuntur’, in ista vero ‘sunt’, et convenit solis relativis et omnibus. 5

Sic definitur, sed sic dividitur: Ad aliquid aliud est universale, aliud singulare. Item: Ad aliquid aliud est relatio, aliud est relativum. Haec divisio similiter est generis in species. Relatio est res in subiecto existens cuius esse existit ex re|spectu. 10
32vb

Hic fit quaedam obiectio: Relativum sumitur denominative a relatione ut pater a paternitate, et paternitas est pars relationis; ergo pater est pars relativi; ergo cum iste sit pater, est relativus.

Solutio: Dicimus quod non sumitur denominative a relatione, sed sumptum eius praedicatur de aliquo, ut cum dico ‘iste habet in se relationem ut formam’. 15

Item, dividitur aliter: Ad aliquid aliud est superpositio, aliud suppositio. Et est divisio generis in species. Suppositio est tale <ad> aliquid per cuius assignationem demonstratur aliquid supponi alii, ut filiatio, servitus et similia. 20

Et aliter dividitur ad aliquid, quia aliud relatio, aliud relativum. Relatio est proprietas in subiecto existens, quod habet existere ex relatione, id est dici sine respectu. Relativum, id est sumptum quod habet dici in respectu.

Opponitur: Relativum est sumptum a relatione (verum); sed paternitas est pars relationis; ergo pater est pars relativi; ergo de quocumque praedicatur pater, et relativum. 25

Ad hoc respondemus quod relativum licet videatur quod habeat se et ad sumptum quod sumitur a relatione et ad hoc praedicatum, scilicet

3–5 Boeth. *in Cat.* 235d

1 incipit] incipiens *P* 4 esse] enim *add. a.c. ut v. P* 4–5 relatione] rela *P* 8 est] *s.l. P* 9–10 divisio] a *add. a.c. P* 13 ut] et *P* 23 quod] quae *P*

sumptum quod habet dici in respectu, sicut accipitur quale praedicatum in quale et id quod habet in se qualitatem ut formam, tamen usus praevaluit quae retinuit relativum in hac significatione tantum: relativum, id est sumptum quod dicitur in respectu, et non relativum sumptum a relatione
 5 dicitur. Sed hoc, scilicet habere in se relationem ut formam, sumitur a relatione. Et non sequitur: Ergo est relativum, quod sequeretur si relativum esset sumptum a relatione.

Definivimus et divisimus hoc genus *ad aliquid*, nunc videndum est in quo sit ut in subiecto et ut forma. Omnis proprietas quae est in hoc praedicamento est in animali et in nulla alia re ut in subiecto et ut forma.
 10 Quod probatur sic: Sumpta ab ipsis proprietatibus, ut pater et filius, praedicantur de ipsis animalibus; ergo ipsae sunt in animalibus ut forma.

Nunc opponitur: Paternitas est in hoc homine ut forma; ergo est in eo aliquo mediante; ergo anima vel corpore mediante vel alio; sed non alio;
 15 ergo eis mediantibus. Sed probo quod non, quia corpus istius non dicitur pater nec anima ipsius.

Solutio: Non est argumentum, quia dimittit tertium membrum, quia potest esse illis simul | mediantibus ita quod nullo eorum mediante. Et
 20 fallo in simili: Humanitas est in isto ut forma; ergo anima mediante vel corpore. Solutio: Non sequitur, quia alia humanitas est in anima et alia in corpore.

Et nota quod paternitas est in solis animalibus, et si sumitur in re masculini sexus, dicitur pater, et si in re feminini, dicitur mater.

Nota etiam quod ‘pater’ habet convenire animalibus masculini sexus
 25 cuiuscumque generis sint, sive lupi sive alia animalia. Postea strictius accipitur quod convenit animalibus rationalibus mortalibus masculini sexus. Habet aliam significationem in qua sumitur a paternitate, unde dicitur ‘omnis res habens filium est pater’, id est res <habens> prolem.

Item, filiatio et paternitas sunt relativa; ergo si filiatio non est, nec paternitas
 30 est (verum); ergo si filiatio quae est in isto non est, nec paternitas

2 id quod] ideo *ut v. P* in] *s.l. P* 15 eis mediantibus] eo mediante *P*

quae est in patre eius est.

Solutio: Non sequitur, quia cum dicitur ‘si filiatio non est, nec paternitas est’, sensus est: id est si nulla filiatio est, et nulla paternitas est; vel: si hoc universale, scilicet *filiatio*, non est, nec hoc universale *paternitas* est. Similiter cum dico ‘si filiatio quae est in isto non est, paternitas quae est in patre suo non est’, non sequitur, quia iam diceret quod nulla paternitas quae esset in patre suo esset, quod falsum est, quia potest habere alium filium et ita alia paternitas remanebit in eo, quia quot habet filios tot sunt paternitates in eo. Et bene concedo quod destructa filiatione quae est in isto, destruitur quaedam paternitas quae est in patre eius.

Nunc videndum est de sumptis de quibus praedicentur. Dicimus quod quaedam praedicantur de solis animalibus, ut pater et filius, quaedam de rebus corporeis inanimatis, ut duplum et dimidium, quaedam de substantiis incorporeis et de accidentibus, ut genus et species.

Opponitur: Pater <et> habens filium sunt paria; ergo de quocumque praedicatur unum, et alterum; sed unum praedicatur cum dico ‘haec mulier est habens filium’; ergo haec mulier est pater.

Solutio: Non sequitur, quia huiusmodi quae sunt imposita ad appellandum res masculini sexus proprie quando adiunguntur vocabulis appellandis rem feminini sexus restringitur eorum significatio, et esset sensus: mulier est pater, id est res masculini sexus habens filium vel prolem. Et fallo: Equus et hinnibile sunt paria; ergo si equa est hinnibilis, equa est equus.

Et nota quod in larga significatione accipitur iste terminus ‘pater’ et iste, scilicet ‘filius’, cum dico ‘pater et filius relativa sunt’, scilicet res habens prolem et res habens parentem. Sed in propria significatione secundum vim vocabuli convenit animalibus | tantum masculini sexus. Eodem modo de domino et servo et de similibus.

Et sciendum quod alius est modus praedicationis eorum quae sunt re-

4 paternitas] pater P 7 esset¹] lectio incerta P 14 et] ut P 22 hinnibile] ignibile P 26 parentem] patrem P

lativa ad alia, quia possunt praedicari simpliciter per terminos quibus significantur, ut cum dico ‘iste est pater’, et est competens constructio. Et alius modus est praedicationis eorum quae non sunt relativa ad alia, quia non possunt simpliciter praedicari sicut alia, quia non est locutio ‘iste est similis’ si non est figuraliter, sed debemus sic dicere ‘iste est similis illi’, et ibi praedicatur hoc relativum simile.

Sed probatur contra: Ibi praedicatur tantum ‘simile illi’, quod est pars ad simile; ergo non praedicatur ibi simile.

Solutio: Non sequitur, quia illud ‘tantum’ non excludit totum, et in eo quod praedicatur pars, et totum. Et fallo in simili: In hac propositione ‘Socrates est homo’ praedicatur iste terminus ‘homo’ tantum; ergo non praedicatur ibi haec species *homo*. Vel sic: Video tantum corpus tuum; ergo non video te. Non sequitur.

Adhuc opponitur de sumptis: Pater et dominus habent relationem sive dicuntur in respectu; ergo sunt relativa.

Non sequitur, quia iam esset sensus quod essent relativa inter se. Et fallo in simili: Isti, quorum unus est amicus huius et alter est amicus istius alterius, habent amicitiam; ergo sunt amici.

Praeterea, illi non sunt audiendi qui falsificant argumenta de creaturis in creatore, quia nulla proprietas est in deo. Sed si inveniatur in auctoritate ‘paternitas est in deo’, sensus est: id est deus est pater, et ibi non praedicatur hoc universale *pater* quia nullum universale praedicatur de eo teste Boethio.

Nunc quaeritur de individuis quae subiciuntur cum dico ‘pater est relativum’, ‘filius est relativum’ et de similibus, sub qua specie contineantur; et an sint in subiectis; et cum sint in subiectis, in quibus subiectis sint; et an sint in eis ita quod in unoquoque eorum vel ita quod in nullo.

Ad hoc dicimus quod continentur sub hac specie *relativum* quae praedicatur cum dico ‘pater est relativum’; et est sensus: pater est relativum, id

22–23 Cf. Boeth. *De trin.* IV

1–2 significantur] significatur *P* 5 figuraliter] *lectio incerta (comp. fr̄ habet P)* 18 amicitiam] amicitia *P* 28 relativum] et alterum *P*

est sumptum dictum in respectu. Et dicimus quod illud individuum quod subicitur cum dicitur ‘pater est relativum’ et sic de aliis, est in subiectis.

Sed hic diversae sunt sententiae. Quidam enim dicunt quod illud est in subiectis ita quod in unoquoque. Sed illis opponitur: Illud est singulare quod est in hoc subiecto; ergo non potest esse sine hoc subiecto. Et ille sic solvit: Cum Aristoteles dixit ‘In subiecto etc.’, intellexit ibi de individuis quae primo loco praesto sunt intellectui et non de illis quae subiciuntur cum agit de universalibus. Sed quia hoc est vile refugium, ideo dicimus quod sic est in subiectis quod in nullo illorum.

Sed nobis sic opponitur: Destructo isto in quo est istud individuum, cum aliis remanet illud individuum; ergo erat in isto et in aliis ita quod in unoquoque illorum. Fallo: Collectio istorum hominum vel quae est in istis hominibus destructo aliquo illorum remanet; ergo est in illis ita quod in unoquoque illorum. Non sequitur.

Adhuc opponitur: Regula est: Si aliquod relativorum convenit alicui respectu alicuius, reliquum relativum convenit alteri respectu prioris; sed aliquod relativorum convenit alicui respectu alicuius, ut cum dico ‘imperator est dominus istius comitis; ergo iste comes est servus imperatoris, et sic non est liber’; et sic pauci homines sunt liberi, quod est inconueniens.

Solutio: Ista propositio est multiplex. ‘Imperator est dominus huius comitis’, id est habet eum pro servo, falsum est; ‘dominus istius comitis’, id est praeest ei in dignitate vel officio, verum.

Item, pater est sumptum; ergo nomen proprie significans illud universale iunctum cum nomine alicuius generis vel speciei constituit aliquod praedicatum. Sed probo quod non, quia neque iunctum cum nomine huius generis *animal* nec cum alio alicuius generis vel speciei. Quod iunctum cum nomine istius generis non constituat aliquod praedicatum probo: Utrumque horum est subiectum; ergo non possunt iungi ad aliquod praedicatum constituendum.

6 Arist. *Cat.* 2.1a24–25

7 praesto sunt] sunt *ut v. P, sed fortasse canc.* 9 subiectis] pluribus *P* 16 respectu] res *P* 20 multiplex] *comp. m P* 28 horum] *lectio incerta, fort. nomen P*

Propterea quidam seducti dicunt quod aliqua quae sunt relativa non sunt sumpta. Nos vero dicimus quod sunt sumpta et obiectioni sic respondemus: Dicimus quod non est argumentum ‘si est sumptum, ergo nomen proprie significans illud potest iungi cum nomine alicuius generis vel speciei’, quia nomina sumptorum alia sunt quae possunt iungi cum nominibus generum vel specierum ad constituendum praedicatum, alia non. Fallo: Album est sumptum, ergo sumitur a quantitate.

Praemissis illis quae erant necessaria ad evidentiam huius generis *ad aliquid*, redeamus ad litteram Aristotelis ubi incipit latenter contradicere sententiae Platonis, dicens: HABET AUTEM QUAESTIONEM UTRUM NULLA SUBSTANTIA DICATUR AD ALIQUID, QUEMADMODUM. Quasi dicat: Si supradicta definitio convenienter est assignata, quaedam substantia dicitur ad aliquid.

| Postea subdit: NAM IN PRIMIS SUBSTANTIIS indubitabile et VERUM EST quod NEQUE TOTAE NEQUE PARTES AD ALIQUID DICUNTUR. Et hoc probat, dicens: NAM ALIQUIS HOMO NON DICITUR ALICUIUS ALIQUIS HOMO, et ita de aliis. Postea probat de partibus: QUAEDAM ENIM MANUS NON DICITUR ALICUIUS QUAEDAM MANUS. 33vb

Demonstravit de primis et de ipsarum partibus quod non dicuntur ad aliquid. Postea subdit: SIMILITER ET IN SECUNDIS SUBSTANTIIS, ATQUE HOC QUIDEM IN PLURIBUS, UT HOMO NON DICITUR ALICUIUS HOMO, NEQUE BOS, SED ALICUIUS POSSESSIO DICITUR. IN HUIUSMODI EST MANIFESTUM quia NON dicuntur AD ALIQUID. IN ALIQUIBUS VERO SECUNDIS SUBSTANTIIS habebit ALIQUAM DUBITATIONEM, UT CAPUT ALICUIUS CAPUT DICITUR ET MANUS ALICUIUS MANUS DICITUR et similia.

Hoc idem probat in commento Boethius. Probat dicens: Neque prima substantia dicitur ad aliquid, ut Socrates non dicitur alicuius Socrates, neque pars primae dicitur ad aliquid, quia iste pes non dicitur alicuius pes, nec in secundis substantiis teste Boethio, aliqua secunda substantia non

160.26–161.2 Boeth. *in Cat.* 234b–d

6 specierum] sunt *add. a.c. ut v. P* ad] *da ut v. P* 7 quantitate] quanti *P*

dicitur ad aliquid, sed pars secundae prout videtur, sicut caput alicuius caput dicitur, manus alicuius manus dicitur.

Et nota quod Boethius improprie locutus est cum dixit ‘caput est pars secundae substantiae’, sed tamen talis est sensus: ‘caput est etc.’, id est determinate potest demonstrari de re huius universalis *caput* quod sit pars 5 respectu secundae substantiae.

Probavit Aristoteles quasdam esse substantias ad aliquid secundum definitionem praedictam Platonis. Postea concludit sic: SI IGITUR SUFFICIENTER EORUM QUAE SUNT AD ALIQUID DEFINITIO ASSIGNATA EST, AUT DIFFICILE AUT IMPOSSIBILE EST SOLVERE QUOD NULLA SUBSTANTIA EORUM 10 QUAE SUNT AD ALIQUID DICATUR, quasi dicat: Si illa definitio sufficienter est assignata a Platone sive ab aliis <ita> quod nil plus nec minus contineat, impossibile est et difficile solvere an substantia dicatur ad aliquid.

In sequentibus verbis demonstrat Aristoteles quod non competent 34ra ter est assignata, | quia pluribus convenit quam relativis, quia convenit 15 omnibus relativis et aliis, et hoc demonstrando ponit suam definitionem huius generis *ad aliquid*, dicens: SI AUTEM NON SUFFICIENTER etc., SED SUNT AD ALIQUID QUIBUS EST HOC IPSUM ESSE AD ALIQUID QUODAM MODO SE HABERE, FORTASSE quid CONTRA ISTA DICETUR, quasi dicat: Si non est assignata competenter, sed talis est assignanda, scilicet ‘ad aliquid sunt 20 etc.’, postea poterit solvi an substantia dicatur ad aliquid.

8a35. Posita sua definitione, Aristoteles ostendit proprietatem istius generis *ad aliquid* his verbis: EX HIS ERGO MANIFESTUM EST QUOD SI QUIS aliquod EORUM QUAE SUNT AD ALIQUID DEFINITE SCIET, ET ILLUD AD QUOD DICITUR DEFINITE SCITURUS EST. Definite scire est scire cui conveniat et 25 respectu cuius, ut cum dico ‘Socrates est pater Marii’, nunc definite scio cui conveniat pater et respectu cuius, quia respectu Marii, et illud ad quod dicitur, scilicet filius, definite sciturus sum, scilicet sciturus sum cui hoc relativum filius conveniat et respectu cuius, quia convenit Mario respectu

4–5 id est determinate] indeterminate *ut v. P* 6 respectu] *lectio incerta, res habet P* 19 contra ista] *inv. P* 26 marii] *mar hic et infra P*

Socratis. Hoc proprium assignatur in verbis Aristotelis, scilicet esse talia quorum si quis <aliquid> definite sciet et illud ad quod dicitur definite sciturus est.

5 Nunc videndum est quibus conveniat illud, an omnibus quae sunt in hoc preadicatione et solis, et si non omnibus, quibus conveniat.

Probo quod non convenit huic generi *ad aliquid* sic: Non potest dici de hoc genere quod sint talia quorum etc., nec potest dici de hoc genere cum alio quod sint talia quorum unum etc. Ergo hoc proprium non convenit illi generi.

10 Sic potest probari quod non convenit illis relativis quae non sunt ad alia relativa, ut simile et alia. De aliis vero potest assignari quod sint talia, ut de patre et filio et de paternitate et filiatione et de individuis ipsorum. Sed quia illud proprium quod assignat Aristoteles est proprie proprium huius generis *ad aliquid*, ideo aliis assignetur verbis quam istis, scilicet
15 esse talia etc., quibus possit assignari qualiter conveniat huic generi *ad aliquid* et omnibus quae sub eo sunt.

Ad hoc dicimus quod designatur his verbis ‘definite sciri gratia alterius’, quibus demonstratur convenire huic generi *ad aliquid* et aliis. Huic generi sic: Ad aliquid definite scire gratia alterius sive sit alterius ab alio
20 genere sive ab illo cui convenit, ut cum dico ‘pater est <ad> aliquid’, definite scio cui ad aliquid conveniat et gratia cuius, quia gratia filii convenit huic universali *pater*. Quod conveniat aliis patet, ut sumptis, scilicet patri et filio et etiam huic simile et aliis. Et convenit istis speciebus *paterni|tati* 34rb
et *filiationi* et similibus et individuis ipsarum quod unumquodque isto-
25 rum definite scitur gratia alterius. Et convenit individuis quae subiciuntur, ut cum dico ‘pater est relativum’ et ‘filius est relativum’ et similia, quia unumquodque definite scitur gratia alterius, quia individuum quod subicitur cum dico ‘pater est relativum’ et quod subicitur cum dico ‘filius est relativum’, ista sunt talia quorum unum scitur gratia alterius definite;

6 convenit] conveniat a.c. P 11 alia] aliis P 14 ideo] lectio incertissima P 19 alterius] sive add. a.c. P 23 etiam] lectio incertissima 26 et...relativum] vel universale et filius est universale P

et sic de aliis.

Et notandum est quod per hanc proprietatem Aristoteles ostendit caput et manum non esse ad aliquid, quod est contra sententiam Platonis, dicens sic: CAPUT VERO ET MANUS ET EORUM SINGULA QUAE SUBSTANTIAE SUNT HOC IPSUM QUOD SUNT DEFINITE SCIRI, AD QUOD AUTEM DICANTUR NON EST NECESSARIUM SCIRE; CUIUS ENIM HOC CAPUT VEL MANUS SIT NON EST DICI DEFINITE; QUARE NON ESSENT AD ALIQUID. Et etiam his verbis ostendit Aristoteles quod proprium superius assignatum proprie proprium, quia aliter illa probatio non valeret qua probat caput et manum non esse ad aliquid. 5
10

Postea subdit: FORTASSE AUTEM DIFFICILE SIT DE HUIUSMODI REBUS CONFIDENTER DECLARARE NISI SAEPE PERTRACTATA SINT. Verba ista exponit Boethius sic, dicens: Ad maiorem tractatum invitat nos studiosus auctor his verbis ‘Fortasse etc.’ Quia cum superius tractasset de hoc genere ad aliquid et fortasse videretur nil amplius posse dici de hoc quod superius non esset dictum, ideo dicit: DE HUIUSMODI REBUS DIFFICILE EST CONFIDENTER DECLARARE NISI SAEPE SINT PERTRACTATA, ac si dicat: Ad hoc ut habeatur certa doctrina de huiusmodi rebus quae sunt in hoc genere *ad aliquid* oportet ut maior tractatus inde fiat et saepius inde tractetur et dubitetur. Ideoque subdit: DUBITARE AUTEM DE SINGULIS NON ERIT INUTILE. Sic exponitur: Id est dubitare de praedicamentis in quibus singula continentur non erit inutile. Vel sic: Facere tractatum per quem fiat documentum spectans ad singula illius materiae de qua sit tractaturus inquit dubitatione facta cum inquisitione, hoc non erit inutile, id est valde erit utile. His modis debet exponi et non sicut illi exponunt qui dicunt ‘utile est de singulis, id est de unoquoque’, quia qui dubitat de unaquaque re de nulla est certus. 15
20
25

Et haec de <ad> aliquid sufficiant.

12–14 Boeth. *in Cat.* 238d

17 saepe] semper *P* 20 erit] est *P* 23 inquit] inqui *P*